78.

Q. D. B V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

DEFECTV LACTIS,

CONSENSV AC AVTORITATE
ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA SALANA,
SVB PRÆSIDIO

GEORGII VVOLFFGANGI
VVEDELII,

HÆREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI,
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,
PATRONI, PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS SVI,
OMNI OBSERVANTIA
ÆTATEM PROSEQVENDI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM,
RITE IMPETRANDI,
PVBLICÆ VENTILATIONI PROPOSITA
a

CHRISTIANO GODOFREDO LEHMANNO,
BVDISSA LVSATO,

IN AVDITORIO MAIORI,
Horis ante- & pomeridianis,
A. D. Ianuarii, ANNO M DC XCIX.

IENÆ, TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.

VIRIS

Nobiliſſimis, Conſultiſsimis, Experientiſſimo, Ampliſsimis,

DN. JOHANNI LEHMANNO,

Conſuli Reipubl. Budiſſinenſis meritiſſimo, & p. t. Regenti;

DN. ANDREÆ SOMMERO,

Conſuli Reipublic. Budiſſin. meritiſſimo;

DN. Gottlieb BUDÆO, Med. D. & Phyſico Provinciali Luſat. Superioris Celeberrimo;

Dn. Parenti, Patronis & Fautoribus ſuis ea, qua par eſt, pietate & obſervantia colendis,

Diſſertationem hancce Inauguralem

D. D. D.

ſubjectiſſimus

Chriſtianus Godofredus Lehmannus.

I. N. I.

PROOEMIVM.

VT ad indiuidui conſeruationem duo humores vitales ſuppetunt, ſanguis & ſerum, calidi & humidi vitalis pararii; ita & ad ſpeciei vſum duo alii requiruntur, ſemen & lac.

Illud prima ponit ſtamina, ſanguine & ſero communi titulo & hic concurrentibus; hoc ex vtero in vitales auras miſſo embryoni neceſſariam ſuggerit alimoniam.

Lactis prouentus eſt mirabilis, color delectabilis, ſubſtantia nutribilis, quantitas ſufficiens, modo omnia rite habeant, & inueniat, quod iure naturæ expoſcit, puſio.

At, at, neque hic deſunt remoræ, nec fluenta hæc ſæpe adſunt, ſed modo imminuta adeſt quantitas, modo nihil plane, quod ſatiet ſitientem.

Operæ pretium hinc viſum fuit, de defectu lactis diſquirere, ne habeant, quo de conquerantur puerperæ, nec infanti male ſit; quod dum facimus, diuinum ſupplicamus numen, vt feliciter omnia cedant!

CAPVT I.

DE

Definitione & Subiecto.

NE plane ſicco, quod aiunt, pede prætereamus, quæ circa NOMINIS explicationem delibari queunt, defectus lactis oppoſitus eſt ipſius præſentiæ, adeoque vi contrariorum indubie intelligendus eſt, illo reſpectu. Vt itaque fruſtra exigitur lac in virginibus, in viduis, in coniugatis ipſis, nedum in meliori ſexu, ita vnice & proprie intelligendus eſt defectus hic in illis, a quibus ad lactandos infantes requiritur.

Licet enim & in grauidis, poſt medium geſtationis tempus, vbi infans moueri inceperit, lac ſui indicia quædam præbeat, teſte *Hippocrate, l. de nat. puer. c. 20. t. 11.* apparari tamen magis vias id monſtrat, quam vt exigi debeat, ἐπισημαίνεται, οὐ χωρέει. *indicationem ſui præbet, non prodit.* Adeoque velut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ſupponitur lactis defectus in puerperis, tum ſtricte talibus, quæ peperere, tum, producto ab illo termino hoc actu, lactantibus.

Perinde vero eſt, vtrum lac velut a priori non præſto ſit debito loco ac tempore, adeoque deficiat, & cieri poſtulet; an ſucceſſu temporis ſubſiſtat, ſub continuatione neceſſaria, quando vel non ſuppetit plane, euaneſcit, exaret, exiccatur, vel οὐκ ἄξιον λόγου, inſufficiens, & ſic æquipollens deficienti. *Hippocrati* vſitatus terminus eſt ἀποσβέννυσθαι *extingui*, deſumpta metaphora a flammæ vel ignis deſtructione. Aliis lactis generatio læſa, inopia lactis, penuria lactis audit. Germanico vero idiomate exprimitur: Sie hat keine Milch/ ſie kan nicht ſtillen.

Præmiſſis hiſce paucis, quæ ad euolutionem nominis faciebant, ſupereſt DEFINITIONEM realem vt addamus,

quæ

quæ ſequens eſſe poteſt: Defectus lactis eſt ſecretio humoris alibilis, chyloſi, aqueo-ſulphurei, dulcis, in mammis læſa, a motu partium ſecernentium, & ſecernendarum æque ac ſecretarum impedito dependens.

GENVS definitionis conſtituit læſa ſecretio, ſeu ſeparatio per tubulos mammarum glandoſos, in qua ratio affectus noſtri formalis conſiſtit. Patet hoc in ſtatu naturali, ex vſu glandularum, quæ omnes tranſcolationi vere mirabili & explicatu ſat difficili litant, & in cerebro ſpiritus maxime agiles, in hepate bilem, ſuccum amariſſimum, in pancreate ſuccum pancreaticum, & hic in mammis liquorem album & dulcem elaborant. Æmulantur enim mammæ mechanice fontinam animalem artificioſiſſimam, vbi ſcaturigo & depletio perpetuo ſe excipiunt, mediante preſſione foras evocandi humoris ſui generis, longe optimi.

Læſam autem eſſe elaborationem dictam confirmant, præter propriam confesſionem matris vel nutricis, mammæ, pro ratione cauſæ, modo minores, flaccidæ & exſuccæ præcipue, modo tumidæ & induratæ, ita vt vel ne guttula quidem ſuctu infantis elici, neque admotis digitis exprimi queat, vel tantillum ſaltim, nec ad ſpem explendam ſufficiens conſequatur. Edocet idem, ſi nutrix id neget, vt aliquando fit, teſtis innocens ac inops ipſe, infans plorans, & emaciatus.

Quod ad liquorem chyloſum laudabilem attinet, ortum ſimul & vtilitatem innuunt dicta, ſecerni eum in mammis e ſanguine per arterias mammarias adducto, ibidemque in conſeruationem poſt partum ſpeciei aſſeruari, quod, qui negabit, certo erit nemo.

Quod vero ad ſymptomatum claſſem ſpectet & referendus ſit defectus lactis, actio vult læſa, vt ex ſuperioribus colligere eſt. Quamuis enim & ſuo modo ad vitia excernendorum & retentorum pertinere posſit, ab a-

ctione tamen læſa, vtpote potiori & præcipuo, merito deſumitur denominatio.

Vt autem ſymptoma & cauſa melius innoteſcat & eruatur, curatio bene inſtituatur, remediaque rite applicentur, neceſſum eſt, LOCVM AFFECTVM ſeu ſedem mali prius bene perſpicere ac perpendere. Dividitur autem ſubiectum alias in ſubiectum vt quod, & vt quo. SVBIECTVM vt quod, in noſtro affectu, per dicta, ſunt puerperæ, aut nutrices, inopia lactis laborantes.

Vt quo iterum duplex eſſe videtur, principale & adæquatum. PRINCIPALE conſtituunt mammæ, & quidem potiſſimum ratione glandularum conglomeratarum, e quibus maximam partem conſtant. Incumbunt duo hi mammarum orbes, in homine, muſculo pectorali, & in medio rubentem papillam eminentem habent, area cinctam ſubrubra. Structuram quod concernit, integumento communi remoto, glanduloſo-vaſculoſam eſſe, anatomici perhibent; inueniuntur nimirum glandulæ plurimæ, quæ ex arteriolis & vaſculis excretoriis, ſic dictis lactiferis, invicem convolutis conſtant. Arteriæ, materiam pro ſecernendo lacte aduehentes, ex ſubclauiis promanant, interiores ſunt, & mammariæ vocantur. Venæ, quæ ſanguinem ſecretum & ſuperfluum reuehunt, itidem mammariæ dictæ & interiores, in ſubclauias deſinunt.

Neruos quoque habent, ab intercoſtali venientes, quibus tandem vaſa lymphatica addenda. Prodeunt enim notabiles canales & tubuli ex glandulis mammarum, qui receptaculum quaſi lactis efformant, in quibus tamdiu colligitur & retinetur lac e glandulis effuſum, & verſus papillam, meris fere tubulis lactiferis conſtantem, deportatum, donec ſufficiat ad ſaturandum infantem.

SVBIECTVM ADÆQVATVM eſt reliquum corpus, defectum ſpirituum, ſanguinis & chyli, ſi non quoad totum, ſaltim quoad hanc partem determinatam, & deficientem πλεονασμὸν arguens. Notabile vero eſt, nonnunquam ſolum vnam mammam defectū tali laborare, altera ſalua & incolumi, ob locale vitium hoc vel illud, ex cauſis huc referendum. Viſuntur enim hinc conſtanter vna ſaltim mamma lactantes, altero fonte extincto quaſi & deleto penitus.

Hæc vt melius pateant, non poſſumus, quin vlterius pauca quædam circa cibum hunc delicatum, vti vocatur lac merito, addamus. Enimuero cum lac naturali ordine poſt partum, ſi mulier lactauerit, in mammas procedat, elogio *Coi*, & citius raram carnem habentibus; cum vſus eius ſit, hoc quidem loco, nutrire fœtum editum, ſugendo papillam, tanquam infundibulum, quod per vnum ſæpe alterumque annum continuatur, vnaque euacuare ſuperfluum, περιοσὸν, loco menſium, operæ pretium eſt, ſi, præter hunc vſum, originem, materiam & efficiens luſtremus.

Ciſternam conſtituunt ſinus lactei mammarum gemellarum: ſcaturiginem glandulæ mammarum & tubuli glandoſi lactiferi plures, á paſtu facile auctam, a grauiditate & puerperio hinc inuitatam & ampliatam, vnde tumor, dolorque, niſi exugatur.

Fons & materia ſic conſtituendi lactis remotior eſt cibus & potus largior, cuius dulciſſimum eſt lac: remotus, ſuo ſenſu, chylus, non enim prius appellit ad mammas, quam ad cor latus fuerit; proximus & immediatus ſerum chyloſius, ſeu chylus vitali charactere imbutus, ex maſſæ ſanguineæ vndis proſiliens & ſeparatus.

Terminus a quo, ſeu pars mandans, non eſt vterus, niſi ſecundario, & occaſionaliter, tum verſus ſupe-

riora magis inuitato ductu, compreſsis blande inferioris ventris viſceribus; tum proportione euacuandi ſuperfluum, ſiquidem γάλα καὶ αἷμα τροφῆς πλεονασμὸς, *lac & ſanguis alimenti ſunt redundantia*, ſuppreſſis tunc menſibus, vt redeuntibus ceſſat lac, exceptis plethoricis; tum maxime archeo directore. Fertur enim ad mammas lac directione hac naturæ, inchoate & diſpoſitiue ſub ipſa adhuc geſtatione, complete & perfecte a partu. primum tenue, quod ſeroſum eſt indubie, hinc juſta conſiſtentia gaudens.

Non etiam partis mandantis titulo venire poſſunt inteſtina, licet lactes dicta olim, & chyli fabricæ præſint, niſi remote. Multo minus ipſe ventriculus. Vti enim non preſſione ab vtero profecta, immediata illa, ita nec a ventriculo in omentum, & hinc ſurſum lac reſultat. Sed cordi & tota maſſa ſanguinea, imo conſequenter vniuerſum quaſi corpus, huc facit, adeoque redundantia vniuerſalis laudata, ceſſantibus menſibus & ſucceſsiue lochiis, ſubſidentibus glandulis vteri, & poris lactiferis, vnde neceſſario in maſſam ſanguineam & hinc aliorſum fit collectio & confluxus.

Recipiens, ſeu terminus ad quem, ſunt mammæ ſororiantes, ad quas fertur & directione mechanica. Sunt enim partes raræ, σομφοδέστεραι, *ſpongioſæ*, glandoſæ, magis patulæ & bibulæ, adeoque ſeparationi lymphæ deſtinatæ partes organicæ. Gliſcunt hinc & turgidæ redduntur, diſtendi enim poſſunt & centraliter & quoad ſuperficiem, æqualiter vno verbo, ita diſpoſitæ, vt adductus ſanguis non tam per venas reducatur omnis, ſed redundet ſerum chyloſum in ſuos poros lacteos-lymphaticos.

Vias agnoſcimus, non ductus & poros occultos carnium, ſeu partium mollium, non vaſa lactea ſeu lymphatica, a ramis ductus lactei thoracici huc ſparſi, fru-

ſtra

ſtra quippe quæſiti hactenus, non inuenti; non venas, quæ reuehunt; ſed ramos arteriæ magnæ thoracicos & ſubclavios, vnde in dorſo, circa humeros, & ſub clauiculis ſentiunt nutrices lationem iſtam.

Hinc materia quoque non eſt ſanguis, quia non it & redit natura per eandem ſemitam, neque ab vno extremo ad alterum; ob ſubſtantiam item, cum careat fibris, vt & colorem, ſaporem, odorem diuerſum, vt quantitatem taceamus, ad libram enim vnam & alteram quotidie euacuatur in homine, in bobus longe maiori quantitate, & tempus, quo appellit. Non materia eſt ſuccus nerueus, a ſero diſtinctus, cum careant nerui cauitate, nec quantitas, nec alia reſpondeant; ſed indefinite materia ſuperflua corporis, ſanguis futurus, definite ſerum chyloſios laudatum.

Probant id ſatis dicta, item chylus citius diſpenſatus, ſanguis citius circulatus, idemque lacteus a vena ſecta poſt paſtum obſeruatus, εὐφορία nutricum in lactando, ichor quandoque effluens, inprimis tum ante, tum poſt ablactationem, ne mechanicam chimicam, lac, ſeu emulſionem cephalicam, ex oleo ligni ſaſſafras, cum ſpiritu ſalis ammoniaci dulci ſoluto, cum aqua liliorum conuallium mixto & confuſo, hinc & alia allegemus.

Capvt II.

De Cauſis.

PErgimus nunc ad causarvm inveſtigationem, ex quibus immediata in definitione indigitata, primum ſibi vendicat locum. Hæc igitur eſt partium ſecernentium æque ac ſecernendorum, vt & ſecretorum ipſorum motus impeditus, quod non difficulter probari poteſt.

Requiritur nempe in ſtatu ſecundum naturam ad ſecretionem lactis (1) motus ſanguinis inteſtinus, ſingularis & ad ſecernendorum humorum & particularum modificationem & evocationem comparatus. (2) Succinit motus circularis, qui evolutas eiusmodi partes impetu & appulſu continuo per reſpondentia colatoria traiicit. (3.) Accedit motus fibrarum contractorius ſeu tonicus ſufficiens. (4) Nec reticendus eſt motus ſpirituum; quoniam enim ſinguli hi motus, vti omnium partium, ab horum, per nervos ad glandulas delatorum, influxu pendent, ita manifeſtum eſt, hos actuando & commouendo partes ſymbolam quoque conferre. Quorſum & ipſum fermentum glandoſum & elater mammarum referendus. Colophonem addit (5.) motus lactis iam ſecreti, qui ſuctu infantis egregie promouetur & vlteriori humoris huius ſecretioni vias pandit & aperit. Ecquis igitur non videt, vnum aut plura ex dictis neceſſariis requiſitis, ſi naturæ limites tranſcendant, immediate quoque lactis productionem læſam præcedere, vt in ſequentibus cauſis mediatis pluribus dicetur, ſicque magis innoteſcet.

CAVSA MEDIATA PROXIMIOR varia eſt & multiplex, nam omne id, quod motum partium ſecretioni dicatarum prohibere poteſt aut retardare, illam conſtituit, & huc referri poteſt, partim cauſæ efficientis, partim materialis, & localis œconomiæ culpa. Sic prohibetur motus, quando ſpiritus vel in toto corpore a prægreſſo grauiori morbo, a partu difficiliori deficiunt, defectuque ſuo elaborationi chyli rite peragendæ, & circulationi cum ſanguine non ſufficienter præeſſe poſſunt, vnde chylus parciore in quantitate confectus, crudus, ſegnior & ad ſecernendum minus aptus, vias nimis adſtrictas aut glandulas vel obſtructas, vel anguſtatas,

vel

vel induratas non permeat, nec materiam ſecretioni debitam præbet, ſed præterlabitur. Vel deficiunt ſaltem in mammis, quando negata affluxione, quæ tamen ad actionem hanc ſumme neceſſaria, chyloſam cum ſanguine advecto partem, mediantibus glandulis transcolatoriis non ſecernere valent. Fit id fibris nerveis varie affectis ſiue a frigore conſtringente tactis, quod neruis maxime inimicum eſt, ſiue compreſſis a tumore forte duro, nec adeo infrequenti, ſiue penitus deſtructis & ſubſidentibus poris, ab ulceribus prægreſſis gravioribus.

Non minus huc confert ſanguinis ſuccique chyloſi maſſa, quæ ipſa, cum lacti materiam ſuggerere debeat, ratione autem quantitatis non ſufficiens adſit, vt ob hæmorrhagiam nimiam, narium, vteri, in menſium fluxu, & poſt partum a purgamentis, requiſitum motum quoque recuſare poteſt. Vbi enim ad alios potius vſus atque in propriam indiuidui conſeruationem impendenda venit, impoſſibile fere eſt naturaliter, eandem nutritionis ſpeciei ergo ad mammas deferri poſſe. Provida in hoc ſatis eſt natura, vt diſpenſet ſingula pro ſuo modulo, hinc etiam humorum depletiones in carnoſioribus, & victu liberaliori vtentibus, plethoricis minus metuendas, præter experientiam aliorum, confirmat *Rodericus a Caſtro L. 3 de Morb. Mulier. c. 18.* Videas fœminas, quæ quantumuis infantes prægrandes lactent, menſtrua tamen toto lactationis tempore ordinata, & copioſa habent, nec id ſemel, ſed quoties pariunt. Aſt ſingularia hæc ſunt & conſuetudine naturalia quaſi facta, minus ſaltim ordinaria.

Quemadmodum autem humorum quantitas delinquit, & defectus alimenti defectum lactis poſt ſe trahit; ita non minus laudanda eſt & qualitas vitioſa, ſtatus

nempe pituitoſus, craſſus & viſcidus, imo & acetoſus, muriaticus, ſalſus ſanguinis. Cum enim lentor per ſe aptus natus ſit obſtructiones varias in corpore producere & affluxui humorum, hoc loco ad mammas, obicem ponere, facile patet idem quoque in lacteo hoc nectare valere. Mechanice id explicare licet exemplo emulſionum, quando loco limpidi lactis mucilago reſultat minus fluxilis; ſimilem in modum ſpiſſeſcens lympha, & minus balſamica, oleoſa, ſubtilia, ſubſidentia, craſſoque eiusmodi humori non reſpondentia vaſa, ac exiliſſimos glandularum tubulos ſua craſſitie, omnem motum iamiam retardante, perrepere nequit. Acor vero & coniunctim concurrit dictis caſibus, & ſeorſim lacti omni eſt contrarius, coagula, fixitatem, ſtypticitatem, vel acrimoniam inferens vna.

Nec tertium humorum vitium ordinarium, motus ipſe indictus hinc abire debet, vel a quantitate & qualitate reſultans, vel potius eiusdem remoræ, obſtructiones puta, mammarum: cumprimis, quæ ipſæ nonnunquam etiam ſuo loco ſunt ſubleſtæ ſatis fidei. Enimuero harum modo vaſa cum ſanguine chylum adducentia, modo glandularum tubuli ac ductus lactiferi, extra modum adſtringuntur, anguſtantur vel obſtruuntur. Faciunt hoc, præter pituitam viſcidam & acorem dictum, varia, ipſaque inprimis adſtrictio veſtimentorum thoracis nimia, das feſte Einſchnüren/ quæ comprimendo ſubiecta vaſa, ad mammas tendentia, vna cum glandulis & cæteris ductibus, humoribus admittendis & transcolandis anguſta reddunt, ac imperuia. Imo & glandulæ induratæ, vel deſtructæ penitus, per tumorem vel abſceſſum præuium, vias hinc poſt ſe deletas relinquunt.

Liceat hic, quod admodum congrue fieri putamus,

&

& modum in aliis morbis laudatum applicare, qui fluxionibus aſſignatur, per ὦσιν ſcilicet, καὶ ἕλξιν, per *pulſionem & attractionem.* Ceſſante alterutro, ceſſat lactis prouentus. Ceſſat ὦσις, ſi ſpiritus & humores motu, vt & illud huc vocemus, peccent generationis; ceſſat ἕλξις, ſeu presſio ſpecialis, vt ſic, determinata, nam & preſſio manuum, & emulctio id probat, nominatim ſi infantis debilioris ſuctus ſit inſufficiens. Nam vti alias meatus per humores continuo motos magis ampliantur; ita ex iterata & ſæpiuſcula depletione alii noui alliciuntur & influunt. Tanti eſt hæc momenti, vt exempla proſtent, vbi ſolius ſuctus ope lac prouocatum fuit. Tale ex Bodino annotauit *Schenck lib. II. obſerv p. 305.* infantem, cum auiam vetulam ſiccisſimam, mortua matre, ſugeret, tandem lac emulſiſſe, eoque fuiſſe nutritum. His *Henricus ab Heer* ſimile aliud exemplum addit *obſ. XIV. hiſtor. vlt. pag. m. 195.* Confer. *Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. obſ. 10. p. 14.* Contra ea vero, ſi ſuctus ceſſet, vaſa adducentia magis ſubſident, lac ſecretum ac in tubulis lactiferis collectum affluxum, & conſequenter ſecretionem ipſam, remoratur, ſæpe ſæpius acorem concipit, ac externa aliqua accedente cauſa facillime tumorem citat moleſtum.

Inter Cavsas mediatas remotiores naturales occurrit primo Temperamentvm, quod de viſcido & acido magis participat, pituitoſum & melancholicum. In illo enim a viſcedine & lentore, ad coagulum prono, motus ſpirituum cœterorumque humorum retardatur, vnde obſtructiones & tumores originem ducunt.; in hoc vero ſpiritus, particulæ maxime agiles, ſalino-ſulphureæ-oleoſæ, ab acore deprimuntur & obtunduntur.

Ætas fere excipitur nulla, niſi juniores mulieres ac primiparas huius mali capaciores iudices, vtpote in quibus viæ mammarum non adeo patulæ deprehen-

duntur. HABITVS CORPORIS etiam ad affectum hunc non parum facere poteſt, ſtrigoſior & aridior, paucioris abundantiæ index; maxime vero coniuncta huic ἰδιοσυγκρασία, quam dudum laudauit *Cous l. 1. de morb. mul. c. 49. t. 6.* ſunt enim quædam Φύσει ἀγάλακτοι, *natura ſine lacte*, & quibus lac deficit ante tempus. Hæ vero natura ſolidæ ſunt & denſæ carnis: & propterea ſufficiens humor non penetrat a ventre in mammas, cum via ſit denſa.

Ex NONNATVRALIBVS cauſis AER frigidus & hyemalis plurimum confert ad producendum malum; & vt *Waldſchmid. in monitis medic. p. m. 328.* vult, quocunque modo admiſſus nocet. Aut enim afficit ſpiritus, quando liberius admiſſus fibras ſenſu præditas impetuoſius laceſſit, cui hoſtili affectioni archeus ſe imparem cenſet, ad interiora conterritus fugit, ſtationemque ſuam deſerit. Aut afficit humores, qui a frigore ambiente, ſi tranſpiratio ſufflaminetur, coaceruantur in mammis. Collecti autem frigora haud innoxie tolerant, pr...imis viſcidi; ſed longe ſpiſſiores redduntur, coagulantur & partem tumere faciunt, de quo videri poteſt *Foreſt. Obſeruat. 21. l. 17.* vbi fœmina, quæ inter ſugendum mammillam nimis nudauerat, tempore admodum frigido, lactis coagulum & indurationem cum dolore paſſa. Parte enim aquoſa per venas atque vaſa lymphatica redeunte, non niſi grumi atque materia caſeoſa relinquuntur in glandulis tubuliſue lactiferis, quod ipſum coagulum deinceps ſatis potens eſt ad corrumpendam ſimiliter materiam, vlterius ad augmentum lactis adductam.

Addendis forte hic erit locus externe adhibitis, facta modi operandi conſideratione. Admouent ſcilicet puellæ improvidæ, more quidem peſſimo, quædam,

qui-

quibus ſub pubertatis annis, aut medio geſtationis tempore mulieres, dum mammæ augeri ac turgeſcere incipiunt, earundem auctionem impedire atque coercere ſtudent, quando repellentia & refrigerantia, auſtera & acida v. g. alumen adhibent, quo tamen non incrementum ſolum impediunt & cohibent, ſed & ipſam lactis productionem hinc difficiliorem reddunt.

Quod ad CIBUM & POTUM, peccant hic fœminæ gravidæ adhuc iuxta ac nutrices, dum ratione quantitatis parum aut nihil cibi comedunt, ſed nauſea & faſtidio correptæ alimentorum aſſumptionem recuſant, vnde neceſſarium vitæ pabulum, plus quam par eſt, abſumitur, & ſecretio fere quælibet materiæ neceſſaria deſtituitur. Qualitatem quod concernit, alimenta prava, difficilis concoctionis, viſcida, frigida, eaque non bene nutrientia, & intuitu picæ vitioſa quævis aſſumta, impurum ac vitioſum chylum pariunt; qualis enim cibus & potus, talis chylus, qualis chylus, tale quoque lac ſperandum. Inprimis huc facit acidorum quorumlibet vſus nimius, hæc enim, vt & auſtera, acria, lactis copiam egregie imminuunt, vnde vinum acidulum, v. gr. rhenanum lac notabiliter depauperare ſolet ſecundum *B. Etmüllerum*, item radix armoraciæ in infuſo cum aceto aut alio modo aſſumta. Frigidior potus ipſe non niſi inſignem noxam inferre poteſt, ætheris & ſic viarum libertati obicem ponendo, digeſtionem turbando, & ſic quoque coagulando & conſtipando.

SOMNUS & VIGILIÆ modum excedentes neque hic ſunt bonæ notæ. Somni namque nimia indulgentia torpidos reddit ſpiritus, & humores ad coagulum proniores efficit, nimiæ verò vigiliæ ſpiritus abſumunt, ita vt nullum viſcus recte poſſit ſuum obire officium. Idem fere efficiunt MOTUS & QUIES. Etenim quemadmo-

admodum moderato corporis exercitio ſpirituum humorumque cœterorum circulum promouemus, ita, ob labores nimios, per ſudorem hinc copioſe dimanantem, ſpiritus defatigantur & depauperantur, obque accenſum quaſi calorem humores abſumuntur & inſpiſſantur. Contra ea otium, & vita ſine omni notabili motione, ſedentaria, quantum valeat ad obtundendos ſpiritus, & ad viſciditatem humoribus cum torpore inducendam, non eſt, vt prolixius explicemus.

ANIMI COMMOTIONES non mediocrem huic malo fomitem ſubminiſtrant, vt ſunt mœror & triſtitia, curæ, dolor, ira, amor, ac terror. Revocant plurimæ harum non ſolum ſpiritus ad principium ſuum, ſed & in motu turbant cum reliquis humoribus. Auocant & depauperant aliæ ſpirituum copiam, in mœrore, curis & amore, pluribus namque intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Aduocant ſpiritus aliæ, iisdemque motum inordinatum imprimunt, quo in dolore, affluxu humorum concitato, mammæ nimium diſtenduntur, vt in ira humores iam præſentes magis efferantur & acriores fiunt.

Inprimis vero terror ſubitaneus ob coagulandi vim, qua pollet, omnibus ſuſpectus eſt, ſpiritus fugam arripientes ad interiora verſus centrum retrocedere facit, ab affluxu & agitatione humorum parciore ſanguini torpedinem relinquit, calore partis ſubſequenteque acore, qui ſtatim ſui iuris fit, lac in grumos cogit, tumorem parit ſæpe cum inflammatione, affluxum prohibet, hinc vero defectum lactis inducit, & audit: die Milch iſt ihr entgangen/zurücke blieben/ſie hat ſie verlohren.

Plura talia occurrunt & coniunctim quaſi viſuntur in morbis infantum lactentium, ibi enim ob vigilias, ob mœrorem, ob terrorem, a ſymptomatibus graui-

uioribus, ob motum, ob cibum inordinatum & appetitum deperditum vna matres & nutrices obſeruantur lacte priuari, in tantum, vel in totum. Quin inde non raro ſiniſtrum hauriunt omen, infantem moriturum, quod tamen non ſemper valet, & ex dictis potius cauſis manifeſtis id fluit.

Excreta denique & retenta, ſi, quæ retineri debent, excernantur, & excernenda retineantur, fere omnem paginam abſoluunt. Retenta nimis diu facile *κύησιν* concipere poſſunt. Excretiones vero nimiæ, lymphæ prædatrices, *κατ᾽ ἐξοχὴν* huc pertinent, alui fluxus diuturnus, purgatio a partu v. g. in tumore ventris hydropico coniuncto inſtituta, & neceſſaria, eaque largior: ſudores largiores, vnde videas nullas vel paucas ſaltem lactare poſſe: menſium, quo tamen tempore ſubſiſtere debebant, fluxus, isque immoderatus, lochia nimis large fluentia. Exemplum huius rei *Waldſchmid in Praxi ſua* refert *Caſ. 57. p. m. 167.* vbi, quamuis omnia reliqua ſeſe bene habuerint, lactis tamen generatio nulla etiam arte in mammis procurari potuit.

Hæmorrhagiæ quoque narium, & aliæ vulnerum, materiam lactis mirum quantum depauperant. Cum enim lympha commune ſit vehiculum & ſocium lactis & ſanguinis, fit, vt ſi ſanguini velificetur pro menſium effluxu, lactis plerumque oriatur defectus, geminæ enim euacuationi natura rariſſime ſufficit, quin vna lædatur.

Memorari hic etiam poteſt Venvs ipſa celebrata, quam damnoſam, indeque lac viroſum fieri *Caſpar Hoffmannus*, utilem vel ſaltim indemnem *Proſper Martianus* nutricibus afferunt. Vtut vero neutri parti abſolute aſſenſus ſit præbendus, certum tamen eſt, ab impraegnatione lactis defectum eſſe metuendum.

Agmen denique claudunt Cavsæ Præternatvrales, ſeu cauſæ morbificæ, morbi & ſymptomata alia. Ita non raro febris puerperarum fortior & productior lac

abſumit, abſumpta lympha, nec reſtaurato ſucco chyloſo per cibum & potum, quod tamen non perpetuum eſt in omni febri. Idem præſtant tumores alii diuturni, vlcera quoque longius durantia, vnde textura tubulorum & glandularum vitiatur, ſi v.g. a terrore, ad coagulum pronis humoribus congrumatis, tumores, inflammationes, hincque vlcera enaſcantur, quæ materiam lactis non admittunt, & hoc modo ſecretionem auferunt.

Non incommode huc referri meretur papillarum conformatio vitioſa, dum ad ſuctum minus quadrant, vnde ſæpe non exigua huius penuriæ cauſa æſtimantur, dum modo non ſatis exeruntur & eminent, modo plane deſunt, vnde & hoc loco non vtendo amittitur privilegium; aut a callo, poſt vlcus relicto, non perforatæ, aut fisſæ, vt propter dolorem acerbisſimum ſuctionem perferre non posſint. Vnde facile a longiori ςάσει affluxus deſueſcit, & concurrente vel leuisſima cauſa lac coagulari, coagulatum tumorem, tumor inflammationem, inflammatio vlcera procreare & vlteriorem lactis productionem comprimendo & obſtruendo impedire poteſt.

Non poſſumus non meminiſſe & mali hypochondriaci, ſcorbuti, ipſiusque phthiſeos & hecticæ coniunctæ, vnde ſi non deficit omnino lac, ſaltim bilioſum viroſum, roſiuum, mali moris, euadit, quod defectui æquipollet. Vidit *D. Præſes* talem phthiſicam ſcorbuticam, vbi lac & minori prouentu aderat, & effluens, qua mammas perfluebat, roſionem & velut in ſulcos fisſionem inferebat, vt cogeretur abſiſtere lactans. Nil enim magis lacti nocet, quam bilioſus & acetoſus lymphæ ſtatus.

Pertinent huc & cucurbitulæ dorſo applicitæ intempeſtive, vt nihil magis vbertatem lactis nutricibus tollere posſit, quam hæ ipſæ, quod nutricibus experimento cognitum eſt, vt prudentiores merito hoc remedium ſæpius recuſent, ne ipſis lac deficiat, autore *Marriano comm. in l. 2. epidem. ſ. 3. p. 249.*

CAP.

Capvt III.

De Differentiis & Signis.

Quod ſi ratione ordinis Differentias affectus huius conſiderare velimus, ratione Generis alius eſt quaſi ordinarius, quod rarius, qui ſemper a quolibet partu obſeruatur. Ita curauit inter alias ruſticam quandam *D. Praeſ.* quae quoties pepererat, de defectu lactis querebatur, a medicamentis iuuamen experta. Alius extraordinarius, ſeu prima vice, ſeu alia, viſatur; Alius recens, alius productus; alius curabilis, alius vero minus; alius ſolitarius eſt & ſimplex, alius comitatus, connexus aliis affectibus, tumoribus, inflammationibus, vlceribus, & ſymptomaticus, lochiorum nimium fluxum ſequens. Alius ſubitaneus, alius ſucceſſiuus.

Ratione Partis affectae diſcriminatur in eſſentialem, qui a vitio domeſtico mammarum ortum trahit, & ſympathicum, qui fit per conſenſum, partim totius, quando totum corpus defectu humorum laborat, partim partium, vt affluxum remorantium, paucum chylum elaborantium, &c.

Varietas tandem cavsarvm differentias variat; ſuboritur enim alius a cauſa externa, a terrore, nimio lochiorum fluxu, alius ab interna, a defectu ſpirituum & materiae, a vaſis & glandulis anguſtatis vel obſtructis. Summatim, tot ſunt differentiae, quot cauſae.

Perpenſis iam, quae ad lactis generationis laeſae eſſentiam, ſubiectum, cauſas & differentias cognoſcendas faciunt, Signa quoque paucis euolui poſtulant; conſiderara quoad affectum ipſum, partem affectam & cauſas.

Adeſſe igitur defectum lactis, ſenſus, propria hinc confesſio & conſilium expetitum notum faciunt. Sin ali-

eno ex fonte mutuo petatur, vt fraudulentæ ſolent eſſe nutrices, á poſteriori id deprehendi oportet, tam examinatis mammis, & autopſia, quam infante, ſi clamore inediam indicet, ſi non proficiat, ſi panni quibus inuoluitur, non madidi reperiantur; perpetua enim eſt inter ingeſta & egeſta proportio.

A parte affecta deſumuntur ſigna nullius productionis, quando mammæ vel natura nimis paruæ, rugoſæ, vel contractæ ſunt, ita, vt vix mammillas virorum adæquent & æmulentur, planitie magis viſenda, quam turgidis orbibus.

Ratione cauſarum cognoſcitur defectus oriri a cauſis internis, ſi externæ manifeſtæ non obuient, ſi habitum gracilem, macilentum & exſuccum reſpiciamus, qui quippe defectum ſpirituum & humorum arguit, ſi alia. A cauſis vero externis oriundus e tumore duro, ſcirrhoſo, papillæ abſentia, & aliis e fonte cauſarum huc applicandis patet.

Liceat nunc de PROGNOSI quoque aliquid delibare. SALVTIS & MORTIS ratione, defectus lactis ſibi relictus matri vel nutrici alias bene habenti ordinarie parum aut nihil obeſt, etiam a partu ipſo, ſi febris abſit, ſi lochia rite fluant, natura de indiuiduali ſollicita magis conſeruatione, quam alia. Imo certis caſibus ablactatio potius ſuadenda, cum charitas incipiat a ſe ipſa, nec aliis ſurrogandum ſit, quod neceſſarium eſt ipſi poſſeſſori. Valet id in hecticis, quale exemplum refertur *Ephemerid. N.C. Dec. II. A.I. obſ.109.p.267.* valet in aliis debilibus. Vti vero febricitantes puerperas lac poſſidere bonum eſt, vel indifferens ſaltim, ita ſi exareſcat & extinguatur ſubito, nil boni notat. Quoad curationem vero, ſi paſtu ſufficienti ſuggeſto, ſi medicamentis debitis adhibitis, repetat ſcaturigo, bene res habet; ſin omnibus factis per aliquot dies, non omiſſo ſuctu, nulla tamen turgeſcen-

geſcentia, nulla præſentia emicet, deſperata res eſt, & cogitandum de alimento vicario. Peior eſt defectus ſubitaneus & conſtans, quam paulatim factus & reparabilis.

Sed quia non ad vſum indiuidualem lac deſtinatum, ſed ad nutritionem infantis, eius defectus huius & vitæ & valetudini non parum nocet, ſubtracto enim neceſſario alimento, viribus deficit, non bene nutritur neque augetur, continuo vero ploratu varia incommoda ſibi accerſere poteſt.

Ratione cauſarum variat quoque prognoſis, ſi a mala conformatione, & exeſis ab vlceribus glandulis, a destructis tubulis, a defectu papillarum, nullam admittit medelam. His addi poteſt illa inopia, quæ a morbis & excretionibus, depauperatis & deiectis viribus ac humoribus, tam ſubito non reſtituendis, dependet. Cum enim continuari debeat lactandi actus, licet interpolatis vicibus, differri quidem per vnum alterumque diem poteſt, tantiſper ſubſtituta alia nutrice, ſed ſi ſpes decollet, neceſſario deſiſtere plane ab officio cogitur, per dicta. Si compreſſio, adſtrictio, vel cauſa quædam alia non adeo rebellis malum foveat, curatio locum inuenire poteſt facilius, & contra.

Neque diu durare poteſt vel produci affectus, ſed paucis diebus elucet, vtrum reparari poſſit fons hic vtiliſſimus, nec ne; illud reſumptis viribus, & ſuppetente commeatu aduecto pro lactantis uſibus, hoc abſumpto penitus, nec reſpondente amplius, vel ad ſtatum naturalem reducendo.

Capvt IV.

De Curatione.

Abſoluta ſic affectus noſtri theoria, reſtat vt & cvrationem ſubiungamus. Maturanda autem eſt hæc

ipſa, quantum quidem poſſibile, ne natura à lactis productione plane deſueſcat, neque aliis inconuenientiis exinde promanantibus anſa detur. Fit hoc commode, ſi METHODO MEDENDI vtamur conſueta, triplici videlicet innixa indicationi.

CVRATORIA προσθέσει, *additioni*, ſeu lactis reſtitutioni intenta eſt, per analeptica, ſpiritus roborando, augendo defectum ſeri chyloſi, vias & vaſa anguſta vel adſtricta ampliando, glandularum tonum reſtituendo, coagulum ſoluendo, & educendo, ipſoque ſuctu alliciendo, & affluxum vbicunque vacillantem liberiorem reddendo.

PRÆSERVATORIA in ἀφαιρέσει ſeu *ablatione* cauſarum quarumcunque fouentium occupata eſt, tollendo v. g. febrim, cacochymiam, obſtructiones & alia. VITALIS denique vtrobique vires, a morbo graviori prægreſſo, aut in partu difficili amisſas, tam præſentes, quam futuras attendit & excitat.

Indicationibus hiſce materiam præſidiorum larga manu ſubminiſtrant tres fontes, Chirurgicus, Pharmaceuticus & Diæteticus. Ex fonte CHIRVRGICO primus conceditur locus VENÆSECTIONI. Videtur ſane remedium hocce heroicum & inſigne minus conueniens ac plane noxium habendum, tanquam minus indicatum, ſanguinis enim cum chylo & ſpiritibus penuria non depletionem, ſed conſeruationem potius & excitationem efflagitat; & verum eſt, in ſe & directe lacti defectui neutiquam conſulit. Quod ſi tamen menſium aut lochiorum nimio fluxu, vel his quoque ſuppreſſis, tumoribus item cum inflammatione, materiam pro lactis elaboratione abripientibus, vel non admittentibus, aliquando indicetur, ſecundario vſu, priori caſu in brachio, poſteriori in pede moderata eductio inſtitui poteſt, vel iuxta circumſtantias.

CV-

Cvcvrbitvlæ vt dorſo applicitas remorari lac & imminuere diximus, ita antice commendantur, vt vaſa ſubſidentia elevando ſpiritus & ſanguinem inuitent, iisq; motum liberiorem concilient, appoſitæ infra iugulum & clauiculas, ſecundum *Nic. Piſon. l. 2. de morb. cogn.* & *cur. c. 13.*

Papillas porro, non ſatis prominentes & occultas, extrahunt, vt infans eas commodius apprehendere queat, de quo vid. *Petr. ab Arelat. l. 5. tract. 16. c. 3.* & præcipue *Hieron. Fabritius ab Aquapendente, operat. Chirurg fol. 57.* vbi ſcribit, ſi ſuctus parum valet, a parva cucurbita ſicca loco papillæ admota foras nonnunquam extracta papilla eſt, præter alia, ibi legenda. Eſt & in vulgari uſu & huc referri poteſt ex *loc. cit.* Vitrum Suctorium, etiam in *Armament. Chirurgic.* a *Sculteto* depictum, quatenus exſugunt huius ope mulieres lac in mammis, ad coagulum pronum, & ſic a defectu ſe præſeruant, qui facta mammarum diſtenſione, poſt lactis nimia copia ſtagnantis grumos, facile ſe ſiſtit.

Frictiones & hoc loco ſuo non carent uſu, duabus vel tribus horis poſt paſtum, pannis primo mollioribus, dein aſperioribus blande inſtitutæ, ad incaleſcentiam aliqualem vsque; humores enim ſtagnantes reſoluunt, vias laxant, affluxum liberaliorem citant, vt tenuiores facti excretioni faciliori adaptentur. Poſſunt enim adhiberi primis ſtatim diebus in iis, qui a partu nullum lac habent, vel a vaſis, vel glandulis anguſtatis, exilioribus, vt & in illis, quibus a cauſa, quadam externa mammæ induratæ ſunt. Cauere autem ſedulo iubet *Sylvius prax. Med. L. 3. cap. 10. §. 85. p. m. 569.* ne frictione vehementiore aut diuturniore quaſſentur lædanturque mammarum glandulæ, ſicque inflammationi anſa detur, nam emendatio partium continentium a ſtatu natiuo remotarum mora indiget, quippe quæ difficilius & ſegnius obtinetur.

Præ-

Præſidia ex PHARMACEVTICO fonte deprompta duplicis conſiderationis erunt, vniuerſalia & particularia. Illa totum corpus attendunt, hæc autem ſubiectum morbi, ſeu mammas affectas, potiſſimum reſpiciunt, ita, vt intentioni cuicunque ſatisfiat, prout, nempe indicantur a ſuis indicantibus.

Locum habent LENIENTIA, indemnia in quouis fere morbo & innoxia, ſpeciatim autem hic quadrant, quando primæ viæ ab humoribus vitioſis collutulatæ liberandæ, ſicque collectæ impuritates peregrinæ inferiora verſus diuertendæ, ne ſtagnare in reliquum corpus poſſint, atque ad mammas conſequenter quoque redundare, ſed potius lac defecare. Huius generis ſunt *cremor* & *cryſtalli* ♀*i*, Ra ♀*i*, Ra ♂ *laxativ. tartar. vitriolatu*, MP. *tartar. Schröd. Quercetan. pil. angelic. aloët. Francofurt. aloë roſata, violata, ſpec. diaſenn.* aliaque huius commatis.

Pertinent huc & præparantia, quæ eadem ſunt cum alterantibus, ſeu lactis correctoriis, & incidendo, alterandoque humores ad meliorem eductionem aptant, vt ſunt aperientia, tartarea, martialia, antiſcorbutica & alia, ſicubi iisdem opus ſit.

PVRGANTIA autem ordinarie minus in vſum vocare audemus, metu, ne eductione largiore facta, malum magis contumax fiat. Si tamen cacochymia ea indicet, propinari & hæc poſſunt aliquando commode, ſed mitiora & bene correcta, ne vacuando noceamus. Fundunt hæc humores, colliquant & ſtimulant, ſicque ex intimioribus & remotioribus partibus educunt, nominatim *rhabarbarina*, *ſennata*, & ex *gialapa* quoque petita. Obſeruatum eſt in praxi, lochiis probe promotis a puerperio, quæ inter rhabarbarum præcipue eligendum eſt, lac ſcaturire ſalubrius. Quin & clyſteres in puerperis non inconſulto adhibentur.

Cum-

Cumque ſæpiſſime humores acidi & viſcidi vti toto in corpore, ſic & in mammis morbos producant; & concomitantibus cauſis aliis *ςάσις* humorum inde orta, tumores & inflammationes obſeruentur, quibus lactis prouentus impeditur, Diaphoretica plurimum medelæ afferunt, ſaluberrima puerperarum remedia. Hæc enim abſorbendo corrigunt, attenuando & reſoluendo fluxiliores reddunt humores, tranſpirationem liberam promouent, diuertunt, diſcutiunt & reuellunt, tum fixa v. g. *Concha ppta, C. C. phil. ppt.* ♄ *diaph.* *tinnab.* ☿*ii* & *natiu. bezoard. mineral.* tum volatilia & media, eminentiori gradu id præſtantia, magis attenuantia, liquefacientia & reſoluentia, obque polychreſtam virtutem multis indicationibus egregie ſatisfacientia. Talia ſunt ⊖*lia volatilia, C. C. viperar.* C. C. *liquor. C. C. ſuccinat.* ☿ *iſat.* *fuligin. viperar. bezoard. Buſſii*, item *M. S.* ℞ *bezoard. Wed. Mich.* cum ℞*a anodyna.*

Divretica quoque addenda, quæ licet non e mammis, ſed in vaſis & glandulis potiſſimum internis vitioſos hærentes humores per vias vrinarias educant, in vſum tamen trahi poſſunt, quatenus lympham corrigunt, blande fundunt, diluunt, & temperant, vt ablato impedimento motus ſpirituum ſanguinisque liberius fieri, quod vero reliquum eſt vitii facilius ſubigi & emendari, ac pars quælibet ſuo rite fungi officio poſſit. Præſtant hoc ℞*a tartari, arcan.* ☿*i*, ⊖✱*ci aniſat.* ℞*a* ♄*li tartariſata. ſuccin. ppt. eſſentia* & *ſal ſuccini volat.* aliaque, non item nitroſa & acida.

Quin & reſoluentia, incidentia & aperientia non poſſunt non eſſe commendatiſſima, vbi enim deobſtruendum, attenuandum, in hypochondriacis nempe, ſuum egregie addunt, dum vias vel glandulas aliasque partes a grumeſcente, pituitoſo viſcidoque infarctu liberant, torporem humorem corrigunt & in motum priſtinum citant. Proſunt hinc, præter non ſatis laudandam acrimoniam ſimul edulcantia & refrenantia martialia, ſæpius tacta, ☿*ea, oc.* ♋ ♄ *diaph. rad. ari, ſperm. cet. corall.* ⊖*ia fixa, abſinth. C. B* ♀ *cachect. Quercetan.* ▽ *cherefol.* & plura alia.

Nec opiata ipſa reticeri debent, ſicubi dolor & affluxus

inſidias mammis ſtruat, vbi vel extracti miculam vnam alteramque, vel tincturæ debitam doſin medicamentis adiicimus, diaphoreticis, reſoluentibus, roborantibus & humectantibus, quorum inde virtus mirum in modum exaltatur, motus humorum præter naturam ſiſtitur, dolores autem demulcentur.

Miſſis nunc vniuerſalibus euacuantibus ad ALTERANTIA ſelectiora & in hoc affectu commendata confortantia SPECIFICA deuoluimur, quæ lactis productioni dicata, ſpiritus roborant, chylum maiori in copia bonum generant, glandularum tonum reſtituunt & acrimoniam tollunt. Commendari inter interna merentur præcipue *fœniculum*, & affine huic *aniſum*, iam olim omnibus medicis claſſicis laudata, & hinc quoque *rad.* & *ſummitates* fœniculi recentis comeſtæ, *ſemen* fœniculi & aniſi aſſumtum aut in iuſculis nutrientibus aut lacte ebullitum, *Oleum* item aniſi & fœniculi lac laudabile generant in copia.

Celebrata etiam veteribus eodem nomine eſt *polygala*, inde nomen indepta *Galeno* & *Dioſcoride* præeuntibus, *ſaluia* ipſa, folia *Cytiſi, naſturtii* & alia. Inſtar omnium eſt *vinca peruinca*, qua de elegans eſt locus apud *Fabrit. ab Aquapendente loc. cit.* Ad lac priuatim euocandum, *inquit*, etiam in iis, quibus lac præmature, aut exiccatum eſt, aut euanuit, & lac amiſerunt, ex quacunque cauſa id factum ſit, ſolet lac iterum reuerti ex vinca peruinca, vel in acetariis comeſta, vel decocta, & iuſculo eius propinato, vel denique in ferculis aſſumpta. *Flores ſambuci* in lacte coctos *Chriſtianus Langius* in *Miſcellaneis Curioſis* perquam dilaudat, quibus & *hippomarathrum*, apud *Coum*, hodie aniſum Turcicum vel Sinenſe, Badiani dictum, addi poteſt.

Ex ſeminibus, *ſemen nigellæ, dauci, anethi, erucæ*, commendantur, vt & *paſtinac. ſat.* & *ſem. cardui bened.* & *lactes*; præter dicta. Imo & ſemen viticis ipſum hoc nomine probat *Hippocrates* & *Dioſcorides*, qua occaſione tangenda eſt theſis laudati *Langii Miſcell. III. §. 7.* Menſes cientia lac non augere, quod tamen & dicta videntur facere non pauca, & ſeorſim de ſemine viticis *Dioſcorides* ſcribit *l. 1. c. 134.* καὶ γάλα καὶ ἔμμηνα

ἄγει,

ἀγλ, *& lac & menſes ciet.* Conciliari illa poſſunt, ſi dicamus, fortiora emmenagoga excluſa eſſe debere, vt ſabinam, myrrham boracem, mitiora poſſe eſſe communia.

Maius dubium eſt, quod ſemen viticis inter ſemen adeoq; & lac imminuentia referri ſolet; ſed nec illud tanti eſt, pro modulo enim diuerſo circumſtantiarum & temperamenti ipſius, variant operationes remediorum. Pertinent huc & fructus varii, *amygdala dulcia* excorticata, *nuces pineæ, piſtacia, paſſulæ* minores & maiores, *caſtaneæ* & inde paratæ emulſiones, & alia.

Seorſim etiam proſunt *lac Lunæ*, decantati vſus, *cryſtallus* montana præparata, *lumbrici terreſtres* præp. quorum vſum ſumme extollit *Scipio Mercurius l.3.c.5. art obſtetr.* ad ℨj cum aqua hord. vel cum aqua lumbric. quod ſæpius expertus eſt; *perlæ* item, *coralia, mater perlar. ambra* ipſa, ſi ferri poſſit, a quibusdam huc refertur.

Faciunt quoque officium ſalia volatilia oleoſa, *ſpiritus* ⊖ ✶ *ci aniſatus, fœniculatus cinamomiſat. confect. alkerm. eſſ. lign. aloes, meliſſ. ſpec. diarhod. hep. aromat. roſat.* maxime vero *ſpecies diacryſtalli*, & *rotulæ lac prouocantes Mynſ* non omiſſis humectantibus & aquis roborantibus *borrag. bugloſſ. cinam. rub. idæi*, vnde pulueres varii, potiones, emulſiones & ſimilia confieri posſunt; ſingula partim acorem retundendo, partim lymphæ oleoſitatem temperatam iuuando, partim ſubſtantifice eandem fœnerando, partim motum & qualitatem minimum reſpiciendo proficua.

Nec EXTERNA negligenda, quæ non leues ſuppetitas ferunt, vt emollientia, reſoluentia, ſpiritus reuocantia mammis ſub varia forma adhibita. Ita herba *pimpinella* recens intra mammas appenſa, vel *vinca peruinca* ipſa per ſe vel contuſa iisdem circumdata celebrari ſolent. Fotus item ex *althæa, malua, meliloto, fl. ſambuc. ſem. lini, aniſi, fœniculi* & ſimilibus certis caſibus laudantur.

Si tamen verum fateamur, emplaſtra & cataplaſmata magis in praxi locum habent ad lac abigendum, & reſoluendum vel ſuppurandum quoque, quam aduocandum. Tacemus ergo alia hinc inde commendata. Inſtar omnium eſt *mercurius viuus*, nuci auellanæ incluſus, & intra mammas appenſus. Hic enim ſubtili ſua *ἀναθυμιάσει*, calo-

re corporis promota, ſtagnationem reſpicit, reſoluit ſeu in motum ciet lympham chyloſam, modo alias præſto ſit, vt in mammis exuberare queat. Imo & a faſcino ipſo reputatum defectum ſolatur vnice hoc amuletum, cæteroqui innoxium.

His denique ſuccenturiatur DIÆTA, quæ in legitimo vſu ſex rerum nonnaturalium conſiſtit, & diſſertationi colophonem addit.

Sit ergo AËR temperatus in calore & frigore. De hoc enim notum eſt ex ſupra allegatis, illud lacti maxime infeſtum eſſe, arcendum ea propter omni ſtudio a parte affecta, ne malum vel producatur, vel exaſperetur & grauius reddatur. Per calidiorem autem aërem humores nimis funduntur, & per tranſpirationem atque ſudorem ſeri æque ac ſpirituum inſigne fit diſpendium maxime nocivum.

CIBVS & POTVS ad reparationem humorum plurimum facit; reparatur namque alimentis euchymis & eupeptis, iuſculis v. g. carnium iuniorum, caponum, vitulin. quibus radix petroſelini, fœniculi, rapunculi, ſiſari, incocta. Pertinet huc lac & lacticinia, oryza, amygdala dulcia, alica, gramen mannæ, cum lacte ad pultis formam per coctionem redacta, & puluere cinnamomi, caryophyllorum, vel ſeminis aniſi vel fœniculi aromatiſata. Εὔχυμα & πολύτροφα ſunt πολύγαλα. Adde & vbera vaccina itidem bene nutrientia. Omnis autem inedia & abſtinentia vitetur. Cauenda & amara, acida & acria. Cerevisia ſit bene defecata nec nimis tenuis, vinum non acidum; quilibet potus ſufficiens, non vero frigidus.

SOMNVS & VIGILIÆ menſura gaudeant moderata; ſi enim ſpiritus torpidi ſint, ſomnus breuior & vigiliæ moderatæ torporem excutiunt; longior vero in defectu ſpirituum concedi poteſt, vigiliæ nimiæ ſpiritus diſſoluendo depauperant.

Idem de MOTV & QVIETE notandum, & illum modicum, & magis ante, quam poſt paſtum inſtituere conſultius eſt.

EXCERNENDA & RETINENDA naturæ reſpondeant legibus, inprimis ſudores, & menſes excedentes, lege artis remouendi & ſiſtendi.

ANIMI commotiones non excedant modum, & maxime vitetur terror, mœror & triſtitia, ſpirituum copiam imminuentes; mulcent contra ea hilaritas, gaudium & animi tranquillitas; Venus, quantum fieri poteſt, differatur.

S. D. G.